

Epistola exegetica de affecto loco in pleuritide, ad ... Baldum Baldium / [René Moreau].

Contributors

Moreau, René, 1587-1656
Baldium, Baldum.

Publication/Creation

[Paris] : [S. Cramoisy], [1641]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hqtsmq3h>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



BALDUS.
MORRAU
—
DE
PLEURITID

1640-1







J⁴ 62095/3


MEDICAL SOCIETY
OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

BALDUS, B.



EPI
DE A

I

AD C

BAL

ME

I

Auctore

Med



Apud S
Regis

EPISTOLA EXEGETICA
DE AFFECTO LOCO
IN PLEVRITIDE,

AD CLARISSIMUM VIRVM D.
BALDVM BALDIVM
MEDICINÆ PRACTICÆ
in Romano Gymnasio
Professorem ordin.

*Auctore RENATO MOREAV Doctore
Medico Parisiensi, & Regio Professore.*



PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Typographum
Regis ordinarium, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XLI.

LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
NEW YORK

THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
NEW YORK
LIBRARY

NEW YORK
LIBRARY



C
D. F
IN
M

RE



fuo
na l
irent
ta tu
in pr



CLARISSIMO VIRO
D. BALDO BALDIO

IN ACADEMIA ROMANA
MEDICINÆ PRACTICÆ
Professori.

RENATVS MOREAV S.D.

NVNQVAM induxis-
sem animo (*Erudi-
tissime Baldi*) esse
Medicos qui otio
suo abutentes de rebus meridia-
na luce clarioribus disputatum
irent; nisi intellexissem ex erudi-
ta tua *Disceptatione* aliquos esse
in principe ciuitate, orbis olim

a ij

Domina nunc Christiani imperij metropoli qui de ὑπάρξει *Pleuritidis* lites mouent. Siccine nullam dari *Pleuritidem*? dolere latera citra morbum? & cum acerbitas doloris te ad gemitus compellit, atque de dolente parte queri cogit, decipi te & illudi sensus arbiter rerum tuarum Medicus persuadeat? Vicit tandem σκέψις; & cum æger aut Medicus de affecta parte interrogabitur, respondebit cum Pyrrhonio ἰπέχω, ἢ δὲν δείζω, ἢ δὲν καταλαμβάνω; ne si crus affici dixerit laborare pectus nonnemo argutetur. Tantum igitur valuit vnus aut alter locus Hippocratis perperam exceptus apud nonnullos, vt nullam dari *pleuritidem* conten-

dant,
rem ve
stas su
pulmo
ri. Hæ
di ing
band
danda
ἐπε
obtru
lenus
fectat
& Ma
cis e
nien
cont
& qu
tantu
dicar
ecce

DE PLEVRITIDE. 5

dant, omnemque lateris dolo-
rem velint, non à *membrana co-*
stas succingentis, sed à *dimidiati*
pulmonis inflammatione excita-
ri. Hæc si *ᾠδοδόξολόγως* & exercen-
di ingenij gratia dicerentur, pro-
bandum esset institutum, lau-
danda industria: sed cum serio
ἡ χρεὶς παιδίας somnia sua nobis
obtrudant, hallucinatumq; Ga-
lenum & eius posteros omnes,
sectatoribus Alexandri Petronij
& Marsilij Cagnati oppidò pau-
cis exceptis, impudenter calum-
nientur; castiganda fuit eorum
contumelia, coërcenda lasciuia,
& quàm leuibus ac futilibus ni-
tantur *λογιστοῖς*, ne quid atrocius
dicam, demonstrandum. Vnus
ecce ex Medicorum ordine ex-

citaris vindex veritatis acerrimus,
 & Galenicæ doctrinæ assertor,
 qui receptam ab omni ævo de
Natura pleuritidis sententiam
 tuereris, & eleganti *ῥησέψει* No-
 uatorum ludicras argutationes
 & *λεπτολογίας* euerteres. Periculum
 erat ne plerique studio & leno-
 cinio nouitatis decepti, in partes
 aduersas secederent; nisi tu ob-
 stitisses strenuissimus pugil & fi-
 culnea eorum argumenta disso-
 luisses.

Sed quæ tandem illa argumen-
 ta? pudet dicere, istos vnum aut
 alterum textum Hippocratis sex-
 centis alijs eius locis, mentique
 & assensionem Medicorum om-
 nium constantissimæ antepone-
 re, & omnia quæ de *Pleuritidis*

ὁπάρξει vbiq̄ue locorū dicta sunt,
ad sententiam duorum illorum
textuum reuocare. Habet Hip-
pocrates libro de locis in homi-
ne (nec enim iam de operis Au-
ctore disputo) hæc verba quæ
dubitandi occasionē præbuere.

ὁπότεν ὃ ἐς τὴν κίσαρον ῥέη, καὶ χολὴ ἢ, τὰς
δε δὴλόν ἔστιν. ὁ δὲ ἔχει ἐς τὴν λαπαρίαν καὶ
ἐς τὴν κληΐδα πρὸς τὴν ἐς τὴν λαπαρίαν, καὶ
πυρετὸς καὶ ἡ γλῶσσα τὰ ἄνω χλωρὴ γίνεται,
καὶ ὑποχρέμπεται ξυμπεπιγῶτα. ταύτης τῆς
νέου ἐβδομαίῳ ὁ κίνδυνος ἐστὶν ἢ ἐνναταίῳ.
ὁπότεν ἀμφοτέρω τὰ πλοῦρα ἀλγέη, τὰ δὲ
ἄλλα ὁμοία ἢ τῇ ἐτέρῃ, αὐτὴ μὲν πλεῖστα
μονὴν ἔστιν, ἢ ὃ ἐτέρῃ πλεῖς. *Cū verò,*

*inquit, in thoracem fluxio facta
fuerit, & quidem à bile his signis
deprehendetur. Dolor tendit ad
latus & ad claviculam, quæ est
è regione eius lateris, febris adest
linguaque lutea, seu pallida bile*

a iijj

Vide
com 6 in
lib. 6.
epid.

tincta superiore parte existit,
 Et concreta expiuntur, pericu-
 lum eius morbi intra septimam
 aut nonam diem consistit. Cum
 vero utrumque latus dolet reli-
 qua symptomata ut in praceden-
 ti morbo similia existunt, Et hic
 quidem peripneumonia est, ille
 vero Pleuritis. Subijcit vero
 continuo Hippocrates, αὐται ὅ γί-
 νονται διὰ τὸδε. ὅταν ἐς τὸν πλούμενα ῥύσῃ
 ἐκ τῆς κεφαλῆς διὰ τῆς βρόγχου καὶ τῆς ἀρτη-
 ρειῶν, ὁ πνέμων, ἅτε φαφαρὸς ἐὼν καὶ ξηρὸς
 φύσιν, ἔλκει ἐς ἑαυτὸν τὸ ὑγρὸν ὅπῃ αὐτὸ δύνη-
 ται, καὶ ἐπὶ τὴν εἰσρῦσιν, μῆζων γίνεται, καὶ ὅταν
 μᾶλλον ἐς ὅλον ῥύσῃ μείζων ὀλοβὸς γινέσθαι
 ἀμφοτέρων ἐφαυτεν τῶν πλούμενων καὶ πνευ-
 μονίῳ ἐποίησεν, ὅταν ὅ τῆς ἐτέρας μῆνον,
 πλείους ἢ. id est. *Ipsi autem morbi
 hac de causa generantur. Cum
 fluxio à capite fertur ad pul-
 monem per guttur Et arterias,*

DE PLEVRITIDE. 9

pulmo natura sua & spon-
giosus & siccus trahit in seip-
sum quantum humoris capere
potest, quo excepto maior effici-
tur; & si quidem humor per
uniuersum pulmonem effusus
sit, eius extremae partes amplifi-
catae utrumque latus contingunt
& excitant peripneumoniam,
sin vero unum è lateribus tan-
tum, pleuritidem. Quibus ex
verbis intelligitur *Peripneumo-
niam* excitari cum distentus plu-
rimo humore catarrhoico pul-
mo utrumque latus pertingit &
dolore afficit: *Pleuritidem* vero
cum pulmo vnicum tantum la-
tus tangit & pungit. Eam ipsam
sententiã confirmat Hippocrates
eodem libro de *pleuritide sicca*

πλούτης ξηρὴ , inquit , ἀνευ ῥόου γίνεται
 ὅταν ὁ πλούμων λίαν ξυρανθῇ ὑπὸ δίψης
 ἀναγκαίης , ὁ γὰρ πλούμων ἄτε ξηρὸς ἐὼν ,
 ἐπὶ πλεον μᾶλλον ξηρανθῇ τῆς φύσεως , ἰσχυρὸς
 γίνεται καὶ ἀκρατὴς ῥυόμηνος καὶ κλιαθεὶς ἐς τὸ
 πλούρον ὑπὸ ἀκραιφνείας , ψάυει τὴν πλούρην καὶ
 ἐπὶ πλεον δίψῃ ὑπερῷ ἐόντος ἀπτεται , καὶ πλούειν
 ποιεῖ , τότε ὅ δὲ γίνεται ἐς τὸ πλούρον καὶ
 ἐς τὴν κληΐδα καὶ πυρετὸς ἐπαναχρεμπεται
 ἡδονὴν . *Sicca* , inquit , *pleuritis ci-*
tra fluxionem generatur quoties
pulmo admodum exaruit præ
sitis vehementia , cum enim aliàs
siccus existat , longè vero multo
quàm ferat natura exarescat ,
gracilis euadit imbecillis & lan-
guidus sicque præ impotentia de-
uoluitur in latus quod tangit ex
eoque contactu humoris inter-
uentu ipsi agglutinatur , pleuri-
tidemque committit . tunc verò
& dolor excitatur in latere ac

*clauicula, & febris; & album
expuitur.*

Sed in istis Hippocratis locis
pleraque sunt cū in verbis, tūm
in sensu obseruatione dignissi-
ma. *χολῆς* siue *Bilis* nomine non
pallidam bilem intelligere vide-
tur, quemadmodum vult Gal.
com. 3. in lib. de ratione victus
morbis acutis veteres Medicos
χολῆν ἀπλῶς dictam, καὶ τὴν ὡχρὰν καὶ
τὴν ξανθὴν tam pallidam quam
flauam vocasse; sed vt existimo
cum Foësius fluxionē vniuersim
sumptam ab humore acri, fer-
uido, bilioso, tenui qui & in-
flammationem excitare & fe-
brem accendere valet. vocem
λαπαρῆν interpretes explicant *la-
teris mollitudinem*, quibus ver-

bis quid velint multi videntur dubitare. Ruffus Ephesius in vocabulario partium humani corporis λαπαράς interpretatur *Ilia*, τὰ ὅτι ὑπὸ ταῖς πλευραῖς μαλακὰ, λαπαράι καὶ κενεῶνες sub costis molles partes à Græcis λαπαράι & κενεῶνες Latinis *Ilia* vocantur, quem locum accuratè descripsit Gal. com. 2. in lib. de fracturis. *Equidem*, inquit, *de vocabulo λαπαράς dicere possem adductus experimento, & Hippocratis ac Poëta Homeri usu, tum ipso morbo eam significare partem quæ inter pectoris ossa & quæ propriè appellantur ossa Ilium, est interiecta.* quod etiam repetiit initio comment. 2. in librum prognost. Sed de illa parte locus hic minimè

est audiendus cum nulla intercedat necessitas aut familiaritas inter pulmonem inflammatum & Ilia. Præferenda videtur explicatio Erotiani qui in lexico Hippocratico *λαπίριον* interpretatur, *τὴν πλῆραν*, vel ut emendare videtur Barthol. Eustachius *τὸ πλῆρὸν* latus satis appositè quidem ad Hippocratis mentem nondum tamen satis accuratè. propiùs accessit Hesychius in onomastico ubi scribit *λαπίρας* non tantùm ex mente Dioclis significare *τὰς κοιλίας ἐκκενομένας* sinus vacuos & exinanitos, sed *τὰ πρὸς ταῖς πλῆραῖς τῆ στήνους* partes loci seu domicilij intra costas. Cœlius Aurel. 2. de acutis cap. 13. vocat membranas vel carnē lateribus interiectam.

Id suo more hoc est eleganter
 expressit Galenus com. 3. in lib.
 de artic. *Arterias*, inquit, *& ve-*
nas ὀχεῖς vocavit Hippocrates,
 quod autem est inter ossa singu-
 larum costarū λαπαρὸν dixit qua
 parte muscoli sunt Mesopleurij
 seu Intercostales. ὀχεῖς μὲν εἶπεν τὰς
 ἀρτηρίας δηλονότι καὶ τὰς φλέβας, λαπαρὸν
 δὲ τῆς πλῦρας ἐκείνης τὸ μεταξύ τῶν ὀστέων
 καὶ ἂν καὶ οἱ μεσοπλῦριοι μὲν εἰσι. Cum
 igitur in latere duæ sint partes
 vna ossea, altera carnea & ossibus
 interiecta: vt Hippocrates desi-
 gnaret partem affici solitam ex
 allisu pulmonis inflammati, vsus
 est vocabulo λαπαρῆς, vt exclusa
 ossea parte mollem, carneam,
 & excipiendo dolori opportu-
 nam exprimeret. Quapropter per

DE
 λαπαρῆς
 mo Hi
 ligend
 flamm
 non se
 maxim
 stas est
 memb
 ex con
 tis & i
 & inf
 cessari
 here p
 Re
 verba
 fatis
 tur c
 perip
 ctum
 dem.

λαπίρην non vna cum Caluo primo Hippocratis interprete intelligenda veniunt *Ilia*, quæ ab inflammatis pulmonibus dolere non solent; sed totum latus & maximè quod in latere inter costas est interiectum: quod cum membranosum sit & carneum ex contagione pulmonis æstuantis & inflammati eundem æstum & inflammationem & ab iis necessario ortum dolorem contrahere potest.

Restat tertia difficultas circa verba examinanda quam non satis excoquere possum: scribitur contactū ἀμφοτέρων τῶν πλευρῶν peripneumoniam facere; contactum verò τῆς ἐτέρας μὲνον pleuritidem. Si quæram ad quam vocem

referatur *ἑτέρης*, ratio ipsa dictabit
 referri ad *πλῦρέων*. atqui non vi-
 deo qua ratione foemininū *ἑτέρης*
 cōuenire possit cū neutro *πλῦρέων*;
 nisi dixerimus auctore posuisse
ἑτέρης, quasi *ἑλπαεῖν* loco *πλῦρέων*
 collocasset, secūdum *σχῆμα* opti-
 mis auctoribus Græcis & Latinis
 familiare quo non τὸ ῥῆτον sed τὸ ση-
 μαινόμενον respiciunt. vt vt sit fateri
 necesse est parū accuratè ab illo
 descriptam hanc sentētiā, neq;
 eo consilio vt publici iuris face-
 ret; sed vnam ex illis fuisse quas
 inter aduersaria collocabat ad se-
 uerius examen postea reuocādas.

Nunc viscera ipsa (vt dicitur)
 & præcordia sententiæ Hippo-
 craticæ excutiamus. Certum est
 eo opere propositum fuisse Hip-
 pocrati

pocрати de catarrho agere, & ex-
 pendere morbos qui ab illo oriū-
 tur: neque de thoracicis affecti-
 bus *ἐν τῇς ἰδεΐας* vt loquitur Hero-
 dotus, siue vt habet Lucianus
ἐν τῇ ἀποφανῆς disputare, sed qua-
 tenus ex catarrho oriuntur. Ac
 ne quidem mens illi fuit de quo-
 uis catarrho, sed de solo calido
 disputationem instituere: qui hoc
 habebat peculiare & proprium
 vt modo *utriusque*, modo *unius*
 tantum *lateris* dolorem inferret.
 Huius diuersitatis causas hoc lo-
 co inuestigat, docetque ab hu-
 more per laryngem & asperam
 arteriam è capite descendente
 pulmonem intumescere qua par-
 te fluxionem admittebat; si toto
 suo parenchymate quia per di-
 b

stentionem & amplificationem
illam vtrumque latus tangebatur,
dolorem obortum fuisse in
vtroque latere; si dimidiata tantum
sui parte; indoluisse illud
solum latus quod ab inflammata
parte tangebatur. Non alia fuit
Hippocratis mens, non consilium.
Quæritur tamen an diuinus
senex hoc loco tradiderit generationem
cuiusvis *Peripneumoniae* & *Pleuritidis*; & cur
dolores vtriusque lateris vocet *Peripneumoniam*,
dolorem verò vnius lateris *Pleuritidē*? Nemo
non videt non suscepisse Hippocratem
inuestigationē omnium causarum
Peripneumoniae & *Pleuritidis*: Cum enim
vnius catarrhi calidioris & vnius viæ

mentionem faciat gutturis scilicet & asperæ arteriæ per quam decumbit humor in pulmonem. Certum est illum prætermisisse plures alias causas & vias quas ex professo de peripneumonia & pleuritide agens infinitis locis commemoravit. Adstringitur ergo hæc disquisitio & demonstratio ad particularẽ catarrhum ab Hippocrate propositum, & in aliqua forsan aëris constitutione aut regione observatum, per quẽ interdum dolor utriusque interdum vnius tantum lateris oriebatur, neglecta explicatione causarum cæterarum quas & lib. de morbis, & de internis affectibus, & de victu in acutis, & de epidemijs fusè & accuratè proposuit.

Sed quo consilio dolorem
vtriusque lateris *Peripneumo-*
niam, dolorem vnus lateris
Pleuritidem vocauit? Tres hu-
ius rei præcipuæ rationes mihi
videntur in medium afferri posse.
Prima est quod cum insolens sit
ac ferè inauditum in arte medica
quemquam corripì simul & se-
mel duplici pleuritide; si id vm-
quam contigerit obseruare, vero
similius est id à pulmonibus in-
flammati quàm ab ipsis lateri-
bus repetere. Vix enim fluxio in
vtrumque latus fieri potest, quin
extendatur ad totum thoracem
non externum modo, sed etiam
internum; tam propter copiam
materiæ catarrhoicæ, quàm pro-
pter partium omnium thoracica-

rum ἀσθένειαν & κοινονίαν. Sic & affecto & dolente vniverso thorace interno & externo; satius est ab interna parte eaque nobiliori & ad vitam magis necessaria denominare morbum, quam ab externa & minus principe. Quibus fanè considerationibus permotus Hippocrates, cum fluxionis in internas thoracis partes atque adeo in pulmonem argumenta haberet certissima; licet vtrumq; latus doleret eum affectum maluit ab interna & potiori parte inflammata *peripneumoniam*, quam ab externa & minus nobili *pleuritidem* appellare. A ratione igitur fuit denominatio petita *peripneumonia*, quemadmodum à sensu appellatio

pleuritidis; Cum enim videmus partem aliquam dolentem, morbum à dolente parte denominamus. Sic colicos cruciatus Hippocrates non vocavit semper intestinorum dolores, sed sæpenu-
mero *σπράγες πρὸς ὀμφαλὸν* tormina circa vmbilicum, quia dolores illi sensibilibiter videntur in ea parte esse constituti.

Secunda ratio est quod cum in inflammatione dimidiati pulmonis adesset præterea lateris dolor fodicans, fixus & permanens; debuerit ille affectus in eo casu *pleuritis* vocari. Probabile verò est inductum fuisse dolorem lateralem non à fluxione primariò oborta (aspera enim arteria qua fluebat humor non du-

cit ad latus) sed ab inflammatione pulmonis dimidiati. Hic enim præ copia turgidus & inflammatus, dum distendebatur ad lateris vsque partes internas membranosas & carneas; ipsas suo proprio calore inflammatorio afflabat & inficiebat; ex illo afflatu flammeo prohibita venarum & arteriarum illuc decurrentium transpiratione, efferuescebat sanguis, accendebatur, ac tandem è venis exiliebat: unde pleuriticus dolor excitatus est coniunctus cum peripneumonia, & qui propterea appposito nomine & aptissimo (quod à nonnullis Iunioribus Medicis vsurpatum video) *πλευριτις* appellari poterat; sed quia

sensibiliter & manifestè dolor sedem suam fixerat in latere & clavicula non ineptè ab Hippocrate *Pleuritis* nuncupata est ; non tam ratione inquam inflammationis dimidiati pulmonis, quàm fluxionis nouæ in latere obortæ per contagem pulmonis inflammati. Argumentum verò fluxionis illius nouæ est ampliissima doloris circumscriptio qui extendebatur à latere ad clauiculam. Aut enim contactus pulmonis in exigua erat lateris parte, aut per totum latus distendebatur: si in exigua fuisset parte; citra fluxionem dolere non poterat totum latus cum iugulo, sed pars sola quæ tangebatur. At si contactus ille attigisset & totum latus & ipsum

iugulum, concipere non possum
quomodo in tantam molem ex-
creuisset dimidiatus pulmo illæ-
sa altera parte media ad quam si
vitium quoque peruenisset, iam
non vnicū latus sed vtrumq; in-
doluisse. Cum ergo ex leui pul-
monis contactu dolor per totum
latus diffusus sit; credibile est pul-
monem tam acriter æstuantem
tamque putridis humoribus, &
fumis turgentem non potuisse
diu applicari lateri, quin secutus
sit nouus in parte ardor, fluxio
deinde ac tandem inflammatio.
Quidni itaque Hippocrates vo-
caret *Pleuritidem* dolorem per
latus & clauiculam sparsum, fi-
xum, diuturnum, febre stiparum;
licet commodiori vocabulo pro-

pter inflammationem pulmonis
illi adiunctam pleuropneumonia
dici posset? sed existimavit diui-
nus præceptor βεαχὺς καὶ σωτόμος sa-
tis se naturam morbi aperuisse
cum monuit, & dimidiatum
pulmonem esse inflammatum &
eius contactu feruido in proxi-
mo latere accensam pleuridi-
dem,

Tertia ratio cur priorem mor-
bum *Peripneumoniam*, poste-
riorē *Pleuritidem* vocavit Hip-
pocrates consistit in designanda
per eiusmodi appellationes isto-
rum affectuum curatione. In cu-
randa inflammatione totius pul-
monis, non refert qua parte mit-
tatur sanguis dextra an sinistra
quæ pars fouenda, illinenda.

DE PLEVRITIDE. 27

Cum enim dolor percipiatur
tam in dextro quam in sinistro
latere, siue dextram siue sinistram
venam secueris, siue dextras siue
sinistras partes fotu & litu tem-
peraueris semper iuuabis. Qua-
propter dolente vtroque latere, id
est toto thorace laborante & in-
flammatione tentato affectum
appositè *peripneumoniam* voca-
ueris, At cum propter dimidiati
pulmonis puta sinistri inflamma-
tionem latus eiusdem partis vi-
delicet sinistrae dolet; peccares in
ægri commoda si sanguinem è
brachio dextro detraheres; si
idem latus dextrum foueres aut
illineres nihil aduersus morbum
promoueres. Venæ sectio ^{κατ' ἑξιν}
est celebranda, latus dolens fo-

uendum, illinendum, scarifican-
 dum pureque facto vrendum &
 secandum. Quapropter verba
 Hippocratis hoc modo audien-
 da sunt. *Dolente utroque latere*
ab inflammato toto pulmone; cu-
rationem adhibe, qua adhibere
solet in vera & germana peri-
pneumonia; at dolente unicolat-
ere ab inflammatione dimidia-
ti pulmonis curam institue, ac si
esset vera & genuina pleuritis,
facta semper euacuatione è dire-
cto *ἢ διὰ τὴν στήν* *& administratis*
applicatisque praesidijs lateri la-
boranti. Quod autem fuerit ea
 mens Hippocratis colligitur ex
 ipsa quam paulo post subiungit
 curatione. *Dolor, inquit, sedan-*
 dus est calfactorijs medicamen-

sis & absorbendum dandum est
 quicquid expectorationem facit
 & balneis utendum quartadie,
 quinta autem & sexta oleum
 illinendum. Peterem libenter à
 nostris Nouatoribus qua parte
 admouerent calfactoria medica-
 menta, quam fouerent, quam
 oleo perfunderent nisi monuisset,
 Hippocrates morbum *pleuritidem*
 esse? At sede morbi sic constitu-
 ta statim intelligunt affectum la-
 tus excalfaciendum, fouendum,
 lauandum, illinendum. Ne ergo
 quisquam deciperetur, (audita
 pulmonis inflammatione) in
 promiscua præsidiolorum vsurpa-
 tione & administratione, addi-
 dit vir diuinus inflammationem
 dimidiati pulmonis *pleuritidem*

esse, hoc est *instar pleuritidis* habendam tractandam, curandam, medicandam.

Interim tamen (vt aliquid aduersarijs nostris tribuamus) non negō peripneumoniam interdum æmulari & mentiri veram *pleuritidem* accensa pulmonum membrana, membranaque laterum propter viciniam, communionem officij, & substantiæ similitudinem in consortium calamitatis adducta: sed quod omnis pleuritis pulmonis sit inflammatio nemo in arte medica exercitatus concesserit.

Et hæc quidem sufficere arbitror ad explicandum priorem Hippocratis locum. Alter per se adeo conspicuus, est vt lucem

etiam nostræ rationi secundæ sit
 foeneraturus. *Sicca pleuritis*, in-
 quit, *citra fluxionem generatur*,
quoties pulmo admodum exa-
ruit præ sitis vehementia: cum
 enim aliàs siccus existat longè
 vero multo quam ferat natura
 exarescat gracilior euadit imbe-
 cillior & languidior sicque præ
 impotentia deuoluitur in latus
 quod tangit, ex eoque contactu
 humorū interuentu ipsi aggluti-
 natur pluritidemque committit.
 Concipere ex hac verborum se-
 rie arentem pulmonem, squalli-
 dum, marcidumque, effoetum,
 in latus resolutum, & officio suo
 penè priuatum. Cogita deinde
 quanto ardore cor æstuet, desti-
 tutum suo flabello & refrigerio,

quanto æstu exardescat sanguis
 in venis & arterijs vicinis, quan-
 to incendio ipsæ carnes affician-
 tur & conficiantur: Et statim in-
 telliges per tantos ardores sequi
 τὰ ὁμοία partium proximarum,
 nonnihilq; de propria substantia
 musculorum mesopleuriorū la-
 teris pulmonis decubitu oppressi
 exsudare, quod saniei excremen-
 titiæ pulmonis admistum instar
 glutini latus pulmoni coniungit
 & connectit; ex qua agglutina-
 tione carnes maiorem concipiūt
 feruorem & dolorē, quibus pro-
 lecti ex venoso arteriosoque ge-
 nere humores primò fluxionem,
 deinde ab ea inflammationem
 hoc est pleuritidem inferunt.
 Propterea continuò subiungit
dolorem

dolor
 clauic
 expect
 ria. D
 pulm
 exare
 fluxio
 nem
 citatu
 nis cu
 febr
 matic
 tem
 Quo
 tam
 pitui
 dition
 erat,
 ria m
 bant

*dolorem excitari in latere & ad
claviculam, febrem accendi, &
expectorationē sequi alba mate-
ria.* Dolor ergo lateris & iuguli à
pulmone non est, cum antea eo
exarescente non appareret; sed à
fluxione facta per colliquatio-
nem partium. Febris quoque ex-
citatur non ab illa tabe pulmo-
nis cui vel nulla vel saltem lenta
febris adiuncta est; sed ab inflam-
matione lateris quæ vehemen-
tem semper inducit febrem.
Quod autem dixit expectora-
tam esse materiam albam hoc est
pituitosā, insinuare voluit con-
ditionem *pleuritidis* quæ sicca
erat, id est in qua nihil de mate-
ria morbifica excrebatur. Exi-
bant quidem pituitosa vel expul-

mone, vel ex partibus faucium vicinis per oppressionem; sed ab ipso latere dolente nihil excernebatur, in quo *pleuritis sicca*, natura consistebat. Si latus non doluisset proprio affectu sed duntaxat à malè constituto pulmone, cum daretur expectoratio, *sicca pleuritis* non potuisset dici, peripneumoniæ enim & pleuritides siccæ appellantur cum nihil ab affectis expuitur partibus ex com. Galeni ad part. 22. lib. 1. de victu in acutis. At hîc aderat expectoratio à pulmone, nulla à latere affecto, aliàs subcruenta fuisset; *Sicca* igitur *pleuritis* appellari debuit non à pulmone labefactato sed à latere inflammato & dolente. Quapropter non

immeritò hic affectus *Pleuritis* dictus est quòd in eo non solum pulmo sed lateris partes proprio vitio laborarent. Illud ipsum quoque est quod Hippocratem mouit, vt ad eius curationem præscriberet expectorantia, & cibos præbere prohiberet. Si duntaxat præter intemperiem siccam pulmonum nullus fuisset in latere morbus; nulla aderat necessitas expectorationis, inedia non fuit præscribenda quæ magis ac magis deficcet. imo potius cibis plurimis ægri erant reficiendi & recreandi à quibus & squallor viscerum partiumque omnium emendatur, & adaucto sanguine earum substantia humectatur. Per Hippocratis manes adiuro no-

uatores istos vt mihi respondeāt:
Vtrum Hippocrates omnium
hominum prudentissimus po-
tuisset sanationem huius morbi
septima die polliceri, eumque
periculo vacuum pronunciare, si
ipsum in vitio & læsione solius
pulmonis consistere censuisset?
Quis credat arētem pulmonem,
desiccatum, marcescentem, me-
dia sui parte effoetum & resolu-
tum carere periculo & intra tam
breue tempus posse restitui? At
quia hæc omnia ad solam pleu-
ritidem siccam pertinebant, po-
tuit sapientissimus senex ferre iu-
diciū & eius securitatis & intra
septimum diem solutionis, cum
præsertim nec à rheumatismo,
nec ab humorum orgasmo, nec

ab insigni eorum corruptela, sed à vicinæ partis contagione excitata fuisset.

Huc vsq; (clarissime Baldi) satisfactum puto auctoritatibus ex lib. de locis in homine adductis verisimilibus & probabilibus argumentis : quæ opponi quoque possent Herophilo apud Cœlium Aurelianum li. 2. acutorum morb. cap. 16. nisi ille eadem facilitate eius rationes dissoluisset, quæ ipsas proposuit. Medicorum aliorum vel obseruationes vel probationes non moror ; etenim si auctoritatibus & capitibus esset certandum, longè plures & grauiores viri in nostras quàm in aduersariorum partes descenderent. Egregium verò

argumentum quod ab Ethymologia deducitur; non dari scilicet *Pleuritidem* quòd nullibi apud antiquos reperiatur *Pleuritidem* dici à membrana costas succingente. Siccine est Philosophari, an desipere? ergo non datur phrenitis, cum enim non denominetur à membranarum cerebrum inuoluentium inflammatione ut voluit Possidonius, tam de eius ὑπάρξεις quàm de *Pleuritide* erit dubitandū? Neque ophthalmia morbus erit membranæ coniunctivæ oculi, quòd denominationem ab ea membrana non accipiat, sed à toto oculo. quæ φλυαεΐα! qui συνδαλμοί! sed seposita omni occupatione præuia, semotisque hominum opi-

Afr'us
serm 6.
c. 2.

nionibus : quæro ab istis nouato-
ribus num membrana ὑπεζοκὸς di-
cta obnoxia sit inflammationi ?
Si negauerint, quæram cur me-
nynges cerebri inflammentur,
cur coniunctiua oculi inflamma-
tionem admittat, cur vesica, cur
uterus, cur ventriculus quæ par-
tes sunt membranosæ phlegmo-
ne tententur ? aut disparitatem
ostendant aut fateantur mem-
branam costis subtenfam oppor-
tunam quoque esse inflamma-
tioni suscipiendæ. Atque ea in-
flammatio quid est nisi pleuritis ?
non denominata quidē à mem-
brana quæ Græcis ὑπεζοκὸς ab offi-
cio succigendi & velandi siue vt
loquitur Meletius ὑποζωννύειν καὶ ὑπερ-
λείπειν dicta est, sed vel ἀπὸ τῆς πλευρῆς

à latere vel ἀπὸ τῆς πλευρῶν à costis
 quas succingit & connectit.

Cæterum qui inrer ἀδυσάτα re-
 ponunt transfudationem sangui-
 nis è latere, & materiæ pleuriti-
 cæ transumptionem à pulmone,
 naturæ ἐφόδες συμπνοίας καὶ ἐπὶ πρῶταις ad-
 mirabiles non satis concipiunt
 scribit Hippocrates Comment.
 3. de articulis *carne circa costas
 aut casu aut ictu aut illisione aut
 quouis alio modo attrita multos
 sanguinem expuisse.* Ad quem
 locum Galenus. *In memoria,* in-
 quit, *habendus est hic sermo pro-*
pter eos qui existimant in lateris
dolore necessarium esse, aliquam
ex fibris pulmonis affici, aiunt
enim fibræ quæ inflammata
costam attingit aliquid ex tenui-

ori parte sanguinis admittere. Ipse verò dicit nullo in pulmone contracto affectu, sed sola costa malè affecta nonnullos sanguinem expuere. Quomodo autem hoc fieri possit erit maiori otio inquirendum. Nos sane hanc questionem perpendimus in ijs quæ scripsimus in librum Erasistrati de sanguinis spūto: nunc duntaxat intellexisse abunde est, quosdam sine vitio pulmonis sanguinem spuere, propterea quod morbus circa costas versetur. Quin & in alijs sæpe vidistis integram cute fracturam superposita sanguinem sic effundi ut fascias impleat cum tamen cutis membrorum sit densior membrana interiorius costas succingente. Quare

nihil mirum est si sanguis per hanc ab affecta costa in interiorem regionem illabatur & subinde in asperam arteriam per pulmones distributa in ipsa expiratione transferatur: quemadmodum in ijs videmus quibus eiusmodi membrana vulneratur, quicquid enim per vulnus in thoracem instillaueris, continuo ascendit & per os reijcitur; quod non intelligens Erasistratus in absurdos sermones libro de sanguinis sputo delapsus est. Et licet mortuo animali nullæ sensibiles viæ in membrana pulmones inuolvente appareant; attamen in viuientibus viæ sunt mente & intellectu sensæ quæ quia sunt perceptibiles sola ratione à

Cœl. Au-
rel. lib. 1.
acut c.
14. & lib.
2 c. 16.

Graci
lanur
per a
oculo
puru
vel fa
fe. Q
flam
docu
1. & l
usu
flam
dens
regu
exis
icho
nuen
flam
simi
omn

Græcis idcirco λοζοδεώρητοι appel-
 lantur. Obseruauī sæpenumero
 per acerrimas & grauiſſimas
 oculorum inflammationes vel
 purum putumque sanguinem
 vel ſaniem cruentam exſtillauif-
 ſe. Quod quidem omnibus in-
 flammationibus proprium eſſe
 docuit Gal.com.ad Aph.12. ſect.
 1. & lib. 5. de locis affect. cap. 7.
uſu, inquit, venit in omnibus in-
flammationibus duntaxat quæ
denſo craſſoque operimento non
teguntur quales in externa cute
exiſtunt, quosdam exudari
ichores ſiue ſaniem initio te-
nuem quæ concocta deinde in-
flammatione & craſſior & puri
ſimilior redditur. Hoc ipſum in
omnibus oris & oculorū inflam-

*mationibus cernere est, nec hisce minus in alia etiam quavis parte quando simul cum totius cutis diuisione pars quæpiam interior inflammatione laborat. Atque ex hac sanie cruenta deprehendi meserei inflammationem docet loco laudato de loc. affectis. Non est igitur quod quærant (quod aliud est eorum argumentum) vnde tanta copia humorum cruentorum suboriatur in *Pleuritide* qui per expectorationem reijciuntur. Stillat enim sanies illa iugi & quasi perenni prouentu ex illa inflammatione quæ sæpius in die suborta fluxione velut renouatur. Obseruatur autem illud frequentius in partibus thoracicis & lateralibus quàm in*

alijs partibus viciniâ cordis, ra-
 morum azug^s illuc decurren-
 tium amplitudine, membrana-
 rum tenuitate, locorum angu-
 stia, & compressione, pulmonis
 perpetua inspiratione & exspira-
 tione qua velut suctione aliqua
 emulget & prolicit quod ex late-
 re inflammato exudat. Accedit
 aëris in pectoris alueo conclusi
 agitatio, feruor, tenuitas, qui in-
 star *ὀχίμετος* penetrationem adiu-
 uat & transmissionem in pulmo-
 nes eius materiæ cruentæ & fa-
 niosæ è dolente latere destillan-
 tis. Admittunt rerum natura-
 lium Mystætacitos cuniculos &
 arcanas vias per quas deferri flu-
 mina & occultari volunt, è qui-
 bus deinde & erumpunt & enaf-

Lib. 3. q.
nat. c. 26.

cunrur. Illò, inquit, Seneca, recepta cursus egere secretò, sed cum primum aliquid solidi quod obstaret occurrit prærupta parte, quæ minus ad exitum repugnabat, repetiere cursum suum.

Quid. 15.
Metam.

*Sic ubi terreno Lycus est epotus
hiatu*

*Exsistit procul hinc alioque re-
nascitur ore.*

*Sic modo combibitur, tacito mo-
do gurgite lapsus*

*Redditur Argolicis ingens Era-
sinus in undis*

Mirantur Eurippos & aquarum
riarum coniugia nulla aquarum
confusione temerata; quod de
Peneo & Titaresio prodidit Ho.
Iliad. β. de Arethusa Libanius in
prog. quæ φυλάττει ἀμιγῆς ἐν θαλάττῃ
τὸ ῥέθρον.

—tumida sic trans fuga Pisa
 Amnis in externos longe flam-
 matus amores

Flumina demerso trahit inteme-
 rata canali

Donec Sicanos tandem perlatum
 anhelum

Ore bibat fontes : miratur dul-
 cia Nais

Oscula, nec credit pelago venis-
 se maritum.

Hæc & longè plura suspiciunt in
 magno mundo prodigia. Inte-
 rim verò videntur ignorare μετεωρί-
 σεις, δαχύσεις, πλυμνίδας, διεξόδους,
 ἐπωδίσματα, ναυσιώσεις, ἐκρύσεις ἀνω, κα-
 θω', ἑσωθεν, ἔξωθεν & admirabiles
 humorum agitationes & trans-
 fusiones quæ in minori mundo
 quotidie observantur.

Papin 1.

Sylu.

Epith.

Stel. &

Viol. vi-

de Lucr.

lib. 6.

vers 890.

Sed parce tandem (vir ornatissime) ardori nostro qui me in hoc bellum induxit & imparatum & nihil tale meditantem. Recordari debebam acerrimæ tuæ defensionis in qua nihil prætermisum est eorum quæ pro asserenda vindicandaque *Pleuritide* excogitari possunt. Dudum est cum rei medicæ commentarium apologeticum ab Aëtio Cleto Signino Medico & Philosopho editum legeram; neque ex Medicorum ordine qui illi responderet, ullus extitit. Tu illum & alios eiusdem opinionis sectatores vno telo confixisti, vno gladio confodisti: neminemque arbitror futurum qui le-

cta

eta & examinata tua discepta-
 tione eorum patrociniū sit sus-
 cepturus. Restat verò vt gratias
 tibi agam immortales pro nun-
 cupato dicatoque mihi opuscu-
 lo, & pro ea existimatione quam
 de me concepisti. Nec vñquam
 de te benè meritus fui, nec eas
 habeo in me virtutes quæ tan-
 tum præconem mereantur. Im-
 mane quantum ab ijs dotibus
 absūm, quæ in arbitro grauissi-
 marum controuersiarum expe-
 tuntur. Et sanè pepercissē lu-
 bētissimè huic scripti oni nisi mi-
 hi vitum aut ἀρεσκίας, aut, ὑπερπα-
 ρίας, aut ἀχαριστίας imputari veritus
 essem. Summam tamen istam
 beneficiorum in me collatorum

humanitati tuæ & comitati tribuendam cenſeo, quemadmodum liberalitati medicas tuas propugnationes opobalsami Orientalis doctas hercle & elegantes quas nuper obtuſiſti opera & interpoſitu amici noſtri lectiſſimi Gabrielis Naudæi viri tantum laudandi quantum virtus intelligi poteſt. Is cum eas me poſſidere virtutes, quæ illum ampliſſimè & cumulatiffime exornant, tibi perſuaſiſſet; optimam de me exiſtimationem apud te commouit. In quo quidem ſi te deceptum animaduertas, benignitate illius & veteri noſtræ amicitia tribuas velim. Æquum eſt tamen vt illi gratias

D
agam
cando
fore
tander
pro E
fiſſe.
rum C
tis, C

DE PLEVITIDE. SI

agambeneuolentiæ suæ, tibi tui
candoris, meque vobis perpetuo
fore obstrictum profitear. Sed
tandem manum de tabula, ne
pro Epistola librum videar scrip-
sisse. Vale ergo Lutetiæ Parisio-
rum Calendis Septem. ann. salu-
tis, CIO IO CXL.

FINIS.

*Epistola Exegetica errata sic
emendanda.*

P Ag. 4. lege queri. pag. 11. leg. in morbis. p.
28. l. adhiberi. p. 31. l. Concipe. p. 46. l.
aquarum variarum coniugia nulla liquorum
confusione.

Cetera lectorem non morabuntur.

7c

is. p.
46. l.
volume

